



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. II. Solvuntur objectiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

§. I.

Definitio peccati.

1. Notandum primò. Nomen peccati accipi posse figuratè, & propriè. Figuratè, seu metonymicè accipitur primò pro pena vel effectu peccati, ut Levit. 20. *Portabunt ambo peccatum suum.* Secundò pro causa vel occasione peccati. Sic de vitulo aureo, qui Hebræis fuit causa idololatria, dicit Moyses Deut. 9. *Peccatum vestrum, quod feceratis, accipiens igne combussit.* Tertiò accipitur tam pro causa, quam pro effectu, quo sensu Apostolus Rom. 7. *concupiscentiam* appellat peccatum, partim quia trahit ortum à peccato originali, partim quia inclinât in peccatum. Quartò pro hostia, & sacrificio expiatio peccati, ut Ol. 4. *Peccata populi mei comedem*: h. e. sacrificia, quæ offeruntur pro peccato. & 2. Cor. 5. de Christo dicitur, *quod DEUS eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecerit*, h. e. hostiam pro peccato.

Propriè accipitur peccatum pro actu deviante & aberrante à sua regula. Unde juxta diversitatem regularum aliud est peccatum naturæ, nempe actus vel effectus devians ab ordinaria via & regula naturæ, uti partus monstruosus: aliud peccatum artis, nempe actus devians à regula artis, veluti mendosa pictura; vel scriptio aliud tandem peccatum morale, quod est actus voluntatis devians à regulis morum; sive deinde sit actus formaliter, sive reductivè, æquivalenter & interpretativè; quo modo etiam omissiones peccaminosæ inter vitiosos actus in moralibus computantur, & de hoc, quod absolutè peccatum, vel culpa dicitur, nobis deinceps sermo.

2. Notandum secundò. Peccatum dividi in habituale, & actuale. Habituale est macula ex actu peccati transeunte relicta; actuale verò est ipse actus, vel ommissio actualiter aut virtualiter à voluntate dependens. De illo inferiùs; de isto agimus in præsentia.

3. CONCLUSIO: *Peccatum à D. Augustino rite definitur Lib. 22. contra Faustum c. 27. Dicitur, factum, vel concupitum contra legem æternam, S. D. a. 6.*

Ratio est: quia hæc definitio explicat totam peccati essentiam: & quidem per istas voces, *dictum, factum, concupitum* substantia actus peccaminosi exprimitur, quæ se habet tanquam materiale; neque enim *Tò dictum, factum, concupitum* significant objectum & rem, quæ dicitur, fit, vel concupiscitur, sed ipsam dictionem, factiorem, &c.] Per *Tò contra* verò exprimitur id, quod est in peccato formale, nimirum repugnantia cum lege DEI æternâ, quæ à S. Augustino describitur *esse ratio æterna, seu voluntas DEI ordinem naturalem conservari iubens, perturbari vetans.*

4. Neque dubites, an prædicta definitio etiam peccato veniali, quod S. D. dicit esse *non contra, sed præter legem*; item peccato omissionis, quo nihil fit, vel dicitur, sed solum omititur, conveniat? Convenit utrique, & in primis veniali, de quo non in hoc sensu negatur, quòd fit contra legem DEI, quasi non sit actus æternâ DEI lege prohibitus; sed quia non est perfectè contra or-

dinem, aut finem legis, qui est charitas: neque enim ordo legis evertitur, aut charitas destruitur per veniale peccatum. Ita seipsum explicans S. D. q. 7. de malo a. 1. ad 1. *Esti, inquit, in aliquo recedat ab ordine legis, non tamen ipsum corrumpit, quia non corrumpit dilectionem; quæ est plenitudo legis.*

Convenit etiam peccato omissionis, quia licet ommissio non sit dictum, factum &c. formaliter, est tamen reductivè, vel virtualiter, & æquivalenter. Reductivè, quia negatio reducitur ad genus affirmationis, & sic per dictum, factum &c. subintelliguntur negationes oppositæ. Virtualiter & æquivalenter, quia in moralibus negationes aliquando pro facto reputantur, sicuti retinere alienum, quamvis physicè in omissione consistat, moraliter tamen pro facto reputatur.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Dices tamen primò. Regula humanorum actuum non est sola lex æterna, sed etiam recta ratio. *Secundò*: Multa sunt peccata, non quòd æternâ DEI lege, sed humanâ & temporali sint prohibita. *Tertiò*: Ratio voluntarii, & aversionis ab ultimo fine est de essentia peccati; & tamen in hac definitione, neque de regula rectæ rationis, neque de lege humanâ, neque de voluntario, & aversione fit ulla mentio: ergo hæc definitio non videtur esse adæquata. *Quartò*. Concupiscere & dicere est quoddam facere, unde sunt peccata commissionis: ergo in definitione peccati redundant illæ voces: *concupitum, dictum.*

Resp. ad 1. non fieri specialem mentionem de regula rectæ rationis, tum quia lex æterna est regula prima, & universalissima, quæ alteram eminenter continet, & per illam seu radium à se derivatum incimatur; tum quia repugnancia peccati cum recta ratione magis pertinet ad considerationem Philosophi moralis; oppositio verò cum lege æterna [ex qua peccatum sortitur rationem injuriæ & offensæ contra DEUM] magis pertinet ad considerationem Theologi.

Ad 2. Resp. Hoc ipso, quòd aliqua ex justa causa & sine lege humanâ sint vitia, etiam aversari æternæ legi existenti in mente DEI, à quâ vim obligandi sortiuntur: licet enim antecederet ad legem humanam, & in sensu diviso ipsius, lex æterna non contineat materiam præceptam, vel vitiam, continet tamen illam, suppositâ accessione legis humanæ, seu in sensu composito ipsius, ut proinde non possit legem humanam justè latam transgredi, quin hoc ipso transgrediaris æternam.

Ad 3. Resp. Ultramque rationem, & voluntarii, & aversiones in data definitione contineri implicite: voluntarii quidem, quia nihil fit formaliter contra legem, nisi fiat voluntariè, cum materia legis tantum sit actus liber & voluntarius: rationem aversionis, quia hoc ipso, quòd aliquis declinet à lege æterna DEI, etiam deviat & avertitur à fine ultimo, sive efficaciter per peccatum mortale, sive ineffaciter per peccatum veniale.

Ad 4. Resp. Majoris claritatis gratiâ actus
interios

internos ab externis distinguendos fuisse præcipue ad duplicis erroris exclusionem, quorum unus fuit veterum Rabbiorum, existimantium, actus internos non esse peccata: Secundus aliorum ex opposito dicentium, actionibus externis nec bonitatem, nec malitiam convenire.

7. Colliges ex dictis. Juxta diversas habitudines & comparationes peccato quoque tribui diversa nomina, quæ tamen ad prædictam definitionem facile revocantur. Itaque per comparationem ad regulam & legem æternam, cui contrariatur, dicitur prævaricatio, & inobedientia; per comparationem ad finem à quo deviat, sic proprie appellatur peccatum: quia peccatum consistit in actu deviante à debito ordine ad finem propter quem agitur, inquit S. D. supra q. 21. a. 1. per ordinem ad principium liberum defectuose ope-

rans dicitur culpa, quia culpa vocatur ratione respectu putabilitatis, nulla verò actio est imputabilis vituperium nisi libero agenti. Per ordinem ad subiectum vocatur malum, quia privatius debito ordine in suum finem, simulque omnibus bonis gratiæ & supernaturalium infusarum virtutum, præterquam fidei & spei. Per comparationem ad effectum, nempe peccatum, cui peccatum reddit obnoxium, dicitur reatus, quomodo ne intelligitur passiva obligatio ad sustinendam peccatum à iudice taxatam. Per ordinem ad principium, quo operantem privat, dicitur demeritum. Per comparationem ad DEUM, quem offensus dicitur offensa, injuria. Per ordinem tandem instrumentum, per quæ patrat, dicitur delictum, factum opere, concupitum corde &c.

ARTICULUS II.

An omne peccatum sit ideo malum, quia lege prohibitum.

SUMMARIUM.

1. Status questionis.
2. Varia leges.
3. Sententia D. Thoma.
4. Probatur autoritate S. Script. & SS. PP.
5. Probatur ex ratione mali, & 6. actus moralis.
7. Exponitur, quomodo actus intrinsecè mali sint prohiberi, quia mali.
8. Actus dissentanei Divinis perfectionibus præsuppositivè ad legem concipiuntur mali fundamentaliter, non formaliter.
9. Non tamen potest DEUS in eis dispensare.

§. I.

Statuitur affirmativa.

1. Hæc questionis occasionem præbent actus intrinsecè mali, ut mendacium, odium DEI, &c. quos propter intrinsecam & essentialem suam repugnantiam cum divinis perfectionibus, & recta ratione existimant Amicus, Vasquez cum Durando, Richardo Lycheto, independentè à lege prohibente esse formaliter malos. D. Th. verò hic q. 71. à 6. in c. Albert. M. S. Bonavent. imò & Scotus citatus à Mastro in 2. disp. 6. q. 3. a. 1. docent esse de quidditivà ratione cujuscunque peccati, quòd sit contra legem æternam. Pro cujus questionis solutione
2. Notandum, Legem dividi in æternam, naturalem, & positivam. Lex æterna est ratio divina sapientia, secundum quod est directiva nostrorum actuum in suos fines: Lex naturalis est rectum iudicium humane rationis de vitandis, vel faciendis. Lex positiva est, quæ sub expressis verbis est posita, eaque rursus vel divina vel humana. Lex divina est prima & remota, lex verò humana est proxima actuum humanorum regula. Hoc posito, sit
3. CONCLUSIO. Omne peccatum ideo formaliter est peccatum, quia lege prohibitum, adeo ut si per impossibile nulla foret lex prohibens, nullum quoque foret peccatum. Ita Thomistæ ad mentem S. D. hic a. 6.

Probatur primò autoritate S. Script. ubi peccatum appellatur prævaricatio pl. 118. Prævaricantes reputavi omnes peccatores terre: atqui ubi non est lex, ibi nec prævaricatio secundum apostolum Rom. 4. ergo si non esset lex, nullum quoque foret peccatum.

Probatur secundò autoritate SS. PP. Nam primò juxta definitionem S. Augustini acceptam à Doct. Angelico, & priori articulo descriptam, omne peccatum est formaliter tale propter oppositionem ad legem, eò quòd sit contra legem DEI æternam; sed lege cessante cessat etiam oppositio ad legem: ergo cessante lege cessat etiam formalis ratio peccati. Secundò, Ideo S. P. Lib. 2. de consil. Evang. peccatum nominat transgressionem legis, Lib. 2. de peccat. merit. c. 2. peccatum non erit, si quid tamen erit, si non divinitus jubeatur ut non sit. Tertio, D. Ambros. l. de parad. c. 8. definit peccatum, quòd sit divinis legis prævaricatio, & celestium inobedientia mandatorum.

Probatur tertio ratione. Malum morale consistit formaliter in deviatione à regulis morum: sicuti malum artificiale consistit in deviatione à regulis artis: sed si nulla foret lex, nulla quoque foret deviatio à regulis morum, siquidem regula & lex sunt synonyma: ergo etiam, si nulla foret lex, nullum foret peccatum.

Probatur quartò. Non potest actus concipi moraliter malus, priusquam concipiatur constitutus in genere moralitatis: nam species præsupponit genus: bonum verò & malum sunt species moralitatis: atqui sublatà lege nullus actus concipi formaliter moralis: ergo cessante lege nullus actus esset malus moraliter. Min. probatur: nulli est lex, nulla est habitudo ad regulas morum: sed prout in pr. Tract. ostendimus, moralitas actus humani consistit in habitudine ad regulas morum: ergo.